

in *Dissertatione Crit. Historiae* GOTHOFR. ARNOLDI de *Corruptoribus H. E.* praemissa, de corruptoribus his generatim monet, alios praeiudiciis, malitia alios, peccare, haec speciatim Iudaicis Doctoribus, in historia gentis suae condenda desudantibus iure meritoque imputari possunt x), unde non mirum, si, praeiudicatis opinionibus, alias malitia fascinati, scriptores hi literis consignare neglexerint, quibus, ne religioni suae ac genti aeternae infamiae notae inurerentur, metuerunt.

Iuuat nunc, exposita uulgari opinione de *Codice Iudaeorum Olsnensi*, nullo modo adhuc *superstite*, ad sententiae nostrae ueritatem demonstrandam confestim proficisci, eiusque rationes enarrare, quibus penitus persuasi, *Codicem hunc ex parte adhuc superstitem*, Tibi, L. B. penitissime persuadere conamur. Atque, ut ab ovo inchoemus, id praestructu omnino dignissimum est, quod, *Codicem Iudaeorum Olsnensium ebraeum adhuc superesse integrum, minime statuamus*, causis tamen eiusmodi haud commoti, quae a temporis circumstantia petitae, uerisimilitudinis speciem prae se ferunt, emunctorum narium hominibus plus aequo plerumque acceptae. Miseriarum ac persecutionum fluctus intelligo, qui eo tempore, uel breui ante, ut in aliis regionibus, sic & in Silesia per uarias urbes y) in

C 2

primis-

x) Refero in eorum numerum Auctorem libri *Iuchasin*, R. ABRAHAMVM fil. R. SAMVELIS ZACVTI atque R. GEDALIAM, Auctorem libri *Schalschaleth Hakkabalab*, quorum priorem Constantinopoli A. 326 C. ∞ IO LXVI, alterum Venetiis A. 347 C. ∞ IO LXXXVII, primum prodiisse, Cel. VVOLFIVS in *B. H.* Vol. I p. 104, & 280 docet, ubi & paginisque sequentibus praeiudiciorum & malitiae uestigia deprehensa ex parte monstrantur.

y) Praetermitto miseriarum ac persecutionum fluctus, quos praeter R. SALOMONEM BEN SCHEFET in *Schefet Iebuda*, ac DAVIDEM GANZ in *Zemach David*, R. GEDALIA in *Schalschaleth Hakkabalab* p. 100 sqq. in ciues suos per potiores orbis terrarum